G ptionis ſententiam mortis pręuaricator incurrens, etiã
adfuturæ ex ſe ſtirpis originem propagauit, vt diuina
Sapien. 2. hoc loco recte ſententia complectitur: Inuidia diaboli
mors introiuit in orbem terrarum. Ita per occaſionem
delicti in vniuerſis peccatoribus diabolus mortis eſt
ſortitus imperium, atq; omnes a deo deuiantes, pecca-
ti vinculo obſtrictos, ſqualentis tartari clauſos ergaſtu-
lo poſſidebat.

Quomodo deus humanã carnem aſſumens, & cor-
pus conditioni mortis addicens, ad tartara deſcenderit,
& ſeras inferni ianuaſq; confringens, vinctos e diaboli
faucibus reuocauerit. Caput IIII.

QVORVM interitum dolens diuina cen-
ſura, non per ſerui vatem, nec per angelum
inuiſibilem, ſed ad hoc per ſubſtantiam hu-
manæ carnis, in homine deus veniens habi-
tauit, vt honeſtam viuendi formã mortalibus daret, &
temporariis æternam in ſe credẽtibus vitam, exemplo
H ſuæ mortis ac reſurrectionis aperiret. Vt enim incre-
dulitas & ſimulacrorum cultus cæli aditum clauſerat,
ita inferni barathrum præuaricatorib⁹ perfidia procu-
rarat. In quorum ſuppliciis vſq; ad aduentum ſaluato-
ris domini Ieſu Chriſti, diabolus per mortem regna-
uit, donec humanæ carnis ad deum attẽperata ſubſtan-
tia, immaculatũ corpus cõditioni mortis addixit. Ex-
pers peccati Chriſtus cũ ad tartari ima deſcenderet, ſe-
ras inferni ianuaſq; cõfringens, vinctas peccato animas
mortis dominatione deſtructa, e diaboli faucibus reuo-
cauit ad vitam, atq; ita diuinum triumphum æternis
1. Cor. 15. characteribus eſt cõſcriptum, dum dicit: Vbi eſt mors
aculeus tuus? Vbi eſt mors victoria tua? Quã felicita-
tem reparatæ ſalutis Paulus recolens clamat: Sicuti
per Adam mors intrauit in hunc mundum, ita & per
Chriſtum ſalus reſtituta eſt mundo. Et iterum: Pri-
mus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo
I cæleſtis. Et adiiciẽs ait: Sicut portauimus imaginem
terreni, id eſt vetuſti hominis in crimine: ſic portemus
imaginem cęleſtis, id eſt ſuſcepti, redempti, reparati, ac
purificati hominis ſalutem teneamus in Chriſto: quia
idem ipſe apoſtolus ait: Initium Chriſtus, id eſt autor
reſurrectionis & vitæ, deinde ii qui ſunt Chriſti, id eſt
qui in forma puritatis eius viuentes, de ſpe reſurrectio-
nis eius ſecuri erunt, cum ipſo cæleſtis promiſſi gloriã
Ioãnis. 5. poſſeſſuri: ſicut ipſe dominus in euãgelio ait: Qui, in-
quit, me ſecutus fuerit, nõ periet, ſed trãſiet de morte ad
vitam. Ita ſaluatoris paſſio, vitę humanę ſalus eſt. Ad
hoc enim pro nobis mori voluit, vt nos in eum creden- K
tes perpetuo viueremus. Voluit pro tẽpore fieri quod
nos ſumus, vt nos ęternitatis eius promiſſionem inde-
pti, cũ eodem perpetuo viueremus.

De ingentibus paſchalis myſterii dieiq; illius præ-
conis. Caput V.

HAEC inquam illa eſt cæleſtium myſteriorũ
gratia, hoc paſchæ donũ, hæc optabilis an-
ni feſtiuitas, hæc exordia gignentiũ rerum.
Hinc vitalis lauacri ſacrę eccleſię editi puer-
perio infantes paruulorũ ſimplicitate renati, barathro
innocentis perſtrepunt cõſcientię. Hinc caſti patres, pu-
dicæ etiam matres, nouellam per fidem ſtirpem proſe-
quuntur innumerã. Hinc ſub fidei arbore ab vtero fon-
tis innocui cereorum ſplendet ornatus. Hinc cæleſtis
menti ſanctificantur munere, & ſacramenti ſpiritalis ce-
lebri myſterio ſaginantur. Hinc vnius plebis gremio
beatę eccleſię nutrita fraternitas, vnicę diuinitatis ſub-
ſtantiam, ac virtutis trinum nomẽ adorantes, pſalmũ L
annuę feſtiuitatis cũ propheta cõcelebrant: Hic eſt dies Pſal. 117.
quem fecit domin⁹, exultemus & letemur in eo. Quis
inquam dies? Nempe ille qui attribuit viuendi prin-
cipium, lucis exordiũ, autor luminis, id eſt ipſe domi-
nus Ieſus Chriſtus, qui de ſemetipſo ait: Ego ſum, in- Ioan. 11.
quit, dies. qui per diem ambulat, non offendit: id eſt qui
Chriſtũ in omnibus ſequitur, per eius veſtigia vſq; ad
æternæ lucis ſolium tranſmeabit, ſicut ipſe patrem pro
nobis adhuc in corpore conſtitutus orat dicens: Pater, Ioan. 17.
volo vt vbi ego ſum, ibi ſint & ii qui in me crediderũt:
vt ſicut tu in me, & ego in te, ita & illi maneant in no-
bis. Hic inquam exultationis & letitiæ dies eſt, in quo
promiſſum perfectæ gloriæ conſecuti, recte plebs ſan-
cta ad inſtar angelorum futuræ laudis myſterium, ad-
huc in hoc ſeculo conſtituti domino cum propheta can-
tamus: Hic eſt dies quem fecit dominus, exultemus &
letemur in eo, id eſt autor inſtitutionis, redemptionis M
& vitæ perpetuæ, dominus Ieſus Chriſtus, qui eſt rex
regum, & dominus dominorum, abſq; initio, ſine fine
in patre regnans cum ſpiritu ſancto, nunc & ſemper, &
in ſecula ſeculorum. Amen.

OPERVM DIVI AMBRO-
SII SECVNDI TOMI
FINIS.

OPERVM DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANEN.

Tomus Tertius, continens orationes, epiſtolas, & ſermones ad populum habitos.